

**Dissertatio medica inauguralis de hydrope ... / Eruditorum examini  
submittit Gulielmus Eddowes.**

**Contributors**

Eddowes, William.  
Oudendorp, Frans van, 1696-1761.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, 1751.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qyk3vkhg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
HYDROPE.  
QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Autoritate Magnifici Rectoris*

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,  
HISTORIARUM ET ELOQUENTIAE PROFESSORIS.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè  
ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

GUILIELMUS EDDOWES,  
ANGLUS.

*Ad diem 17. Decembris 1751. hora locoque solitis.*

---

*Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,  
Nec sitim pellit, nisi causa morbi  
Fugerit venis, & aquosus albo  
Corpore languor. HOR. Lib. II. Od. II.*

---

LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud CONRADUM WISHOFF, 1751.

# Е П О Я С У Н

О Т Р А Н С С И Л А Н О Д З В О Д О І

П И Т О В А Н И Е С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

С О В О Д О В О І С О В О Д О В О І

*SPECTATISSIMO, INGENIOSISSIMO*

V I R O

BENJAMINI STEAD.

N E C N O N

*REVERENDO, INTEGERRIMO*

V I R O

THOMÆ HAYNES.

SUO PER AFFINITATEM FRATRI  
CONJUNCTISSIMO

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

*Ea qua decet  
Observantia*

D.D.C.Q.

GUILIELMUS EDDOWES.

СКАЗАНИЯ ИЗБЕ

ИОНИСКИ

СКАЗАНИЯ ОДИНАДЦАТЬ

ОДИН

СКАЗАНИЯ МОИ ТРИ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬ

СКАЗАНИЯ МОИ СЕМЬ

СКАЗАНИЯ МОИ ДВАДЦАТЬ ЧЕТЫРЕ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ

СКАЗАНИЯ МОИ СОУЩЕСТВЕННЫЕ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ДВА


СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ЧЕТЫРЕ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ШЕСТЬ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ВОСЬМЬ

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ДВА

СКАЗАНИЯ МОИ ПЯТЬДЕСЯТЬ ЧЕТЫРЕ



D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S.

D E

# H Y D R O P E.

§. I.



ydrops a voce græca ὕδωρ aqua , & ψις visus, aut ὄπτομαι video ; est tumidus corporis habitus a fero plus minus corrupto in membrana cellulosa collecto , aut in cavo quodam corporis effuso , partes continentes distendente. Si in membrana cellulosa , quatenus musculos sub cute ambit , eosque cuti laxe adnectit , aqua congesta hæreat , vocatur Leucophlegmatia , ex λευκὸν album , & φλεγμα pituita , intercus , aut Hydrops anasarca , ex ἀνά per , & σάρξ Caro , quæ ut Synonima tuto accipi possunt , licet Aretæus Cappadox , Fridesius Hoffmannus differentiam faciant , forte gradu differunt , sed plus minus diversam speciem non constituunt . Scrupulosis hisce differentiis exponendis non immoror , quum causæ , effectus , curatio prorsus eadem . Si ejusmodi aquæ congestio

partem quandam occupat, ab ea nomen sortitur. Si in Capite, Hydrocephalus; in Cavo Thoracis, hydrops pectoris; tum inter pulmones & pleuram, aut inter mediastinum, aut intra pericardium, aut in spatiis cellulariis, sive inter contactus vesicularum aëriferarum pulmonis hæret. In Cavo abdominis Ascites dicitur, ab ασκος Uter, eo quod Utris in modum venter distendatur. Differt itidem situ; aut hæret in duplicatura peritonæi, aut ovario alterutro, aut utroque, aut tuba alterutra, aut utero, in quibus aliquando ad centenas libras aqua reperta fuit. Si circa testes ejusmodi tumor ortus, dicitur hydrocele ab ὕδωρι aqua & κηλη tumor, & sic de cæteris.

## §. I I.

Obesitas, graviditas, tympanites subinde verum hydropem, & vice versa, hydrops graviditatem, obesitatem aut tympanitatem mentiendo Medicum incautum, proprios singuli affectus characteres non satis sigillatim examinantem, ægrumque nimis credulum decipiunt; nihilominus affectus hi adcurato prægressorum & phænomenorum in ægro præsentium & certo ordine per varia tempora sese excipientium examine haud diffulter discernuntur. Hydropem semper præcedit cacochymia, aut plethora in cacochymiam versa, consistens in tenaci spissitudine, aut tenuitate, acrimonia socia; quamlibet graviditas non præsupponit. Alia phænomena in decursu graviditatis, alia in hydropis. In hydropico omnium functionum languor, vigor nullus, æger licet alacer fuerit, nascente & incremente hydrope, torpescit, color luridus, universi corporis habitus insigniter (sive hydrops per corpus universum diffusus, sive aliquam tantum partem occupet,) flaccescit; tonus omnium partium remittit; Hæc eo magis increscunt, quo magis malum inveterascit, & quo copia magis augetur, acrimonia vim rodendi, destruendi acquisiverit efficaciem. Si hæc omnia conferantur cum iis, quæ in obesis & gravidis deprehenduntur, nulla hos affectus discernendi difficultas. Signa pathognomica, sive characteres proprii tam in hydrope quam in gravidis

viditate occurunt, sigillatim contemplandi, quos prudens & circumspectus Practicus non facile confundet. *Conf. Aphorism. Boerb. §. 14. n°. 1. & Comment. van Swiet. ad hunc Aphorism. Obscurior distinctio, si hydrops cum graviditate coincidit. v. Fr. Hoffm. T. III. §. 19. pag. 526.*

## §. III.

Aretæus Cappadox diagnosin exhibit Lib. IV. C. I. *Omnibus (hydropicis) inquit, inest pallor, spirandi difficultas, diversis temporibus signes sunt pigritia multa, à cibo alienatio, & si aliquid assumant, quamvis modicum & flatu carens, nihilominus valde inflantur, distensiones patiuntur, citra madorem eorum corpus est; idcirco neque in balneis sudore emadescunt; propterea albidi sunt & effæminati; somni sunt graves & torpentes, breves; animi deliquium, circa minima quæque sollicitudo, vivendi cupiditas. In gravidis hæc ex parte observantur, nunquam ita conjuncta ac in hydropicis, nisi graviditas cum hydrope complicata fuerit, ubi duplex onus.*

## §. IV.

Tympaniten (qui itidem tumor abdominis, sed à materia flatulenta, elastica) prodit calor, extrinsecus corpori applicatus; cito enim abdomen, rarefacto intus inclusò aëre elastica materia refertissimo, mox intumescit, quod dum fit, omnia Symptomata evadunt pejora; anxietas, respirationis difficultas, reliquæ molestiæ increscunt; item sonus à percusso ab domine notabilior; elasticitas inclusi aëris efficit, quod chordæ tympanum bellicum tendentes. Quid à tali distensione in visceribus contingat, notitia Anatomæ ostendit. Notum ex Physicis. fluidum elasticum ab omni parte æqualiter premere; tanta igitur est vis premens contra viscera abdominalia, quanta contra peritonæum, musculos abdominales & integumenta; indè obstrunctiones viscerum, circulatio perturbata. Nec obstat, quod in graviditate ejusmodi mala non fiant, lentè in ea causa distendens invalescit, natura hic imperatrix non suppressa

## S DISSERTATIO MEDICA

pressa nil agnoscit violenti; adeoque cum morbo minimé confundenda. Si quæ Symptomata in graviditate occurrant, temporis successu sponte evanescere solent. In tympanite augmentur, sive materia elastica in duplicatura peritonæi, sive in cavo abdominis contineatur. Cæterum ascites & tympanites sibi admodum affines quoad causas, effectus & eventum. Utique affectus à corruptione cujusdam visceris sæpe tantum in cadavere conspicua. Causa distendens in utroque malo fluidum est, fluidum causam materialem constituit; in Ascite aqueum, in tympanite aëreum, elasticum, utrumque inquinatum, fœtidum, cadaverosum, exitus utriusque fere semper lethalis.

### §. V.

Modus, quo hydrops fit, increscit, ratioque sufficiens ex cognitis fluidorum elementis & conditione vasorum liquidò constat; & experimenta à Lowero aliisque instituta comprobant. Si *in vivo* animali vena aliqua major filo constricta per horam *in eo* statu permanet, oritur tumor œdematosus in illa parte, qua rami ad venam excurrant. Simile quid observant Chirurgi, dum ad enormes hæmorrhagias sistendas instrumentum venas valde comprimens applicatur, si hoc diutius relinquitur, pars in tumorem successive attollitur. Elegans experimentum ad demonstrandam Leucophlegmatiæ genesis in cadavere humano. Sumatur cadaver infantis in aqua cxx. gradus calida tamdiu relinquatur, donec calor naturalis in uniuerso corpore obtineat; sit tum ad manus liquidum tenuissimum, mobilissimum, croco tinctum per Syphonem sub aqua arteriæ immittatur, usque dum totum corpus turgeat; tum illico frigidæ inmergatur, ut subito constringatur, in ea per nycthemerum relinquatur, ut arteriæ vi elastica fese in statum quietis restituendo possint fluidum contentum versus fines urgere. Cadaver apertum ostendet liquidum immissum ex parte in cava effusum, pro parte in membrana cellulosa expressum; est verus hydrops artificialis. Si aërem immittis, produces

## INAUGURALIS.

ces emphysema, tympaniten &c. Si cadaver majus est, modo brachium pro experimento capiendum. Si immittitur fluidum rubicundum paulo spissius in venam manus, subclaviâ juxta humerum constrictâ, brachium intumescet; eoque aperto, conspicientur cellulæ pinguedinosæ mire distentæ, vix aliam ob causam, inquit *Frid. Hoffman.* quam quod propter positum obstaculum liquor immissus ex venis membranam adiposam per currentibus in substantiam istam raram minus resistentem expressus fuerit.

### §. V I.

Ex dictis sequitur 1. Hydropem oriri posse, dum arteriæ dilatatis orificiis excretoriis plus exhalant, quam venæ resorbent. 2. Ex venis resorbentibus fluidum aquosum ex arteriis cute acceptum pressione in truncis existente, & vim suam versus fines terminante exprimi, Hydropem nasci. 3. Diapadesi & diæresi utrorumque vasorum idem fieri. Eadem videatur ratio ipsa partium natura suffulta in fluxu menstruo & hæmorrhoidalí. Argumenta ex occultis qualitatibus desumpta nil moror. Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. *Cicero.*

### §. V I I.

Causæ antecedentes temperies laxa, humida, mora diuturna in locis frigidis depressis, uliginosis; opera mediante aquâ, aut in ipsa aqua instituenda, aëre jam frigido & humido existente, ut sunt eorum, qui lavando, piscando, canales mundando &c. vitam sustinent.

### §. V I I I.

Alimenta inertia, cruda, farinosa, non fermentata, potus aquosí ultra necessitatem ingestí, vita otiosa, morbi acuti critice solubiles, sed deficiente requisítâ coctione, imperfecte soluti,

B

aut

aut non succedente defœtu virium solutæ materiæ excretione, ut crises metastaticæ, somitem hujus mali ponunt, datâ occasione incendunt; hinc inflammationes, suppurationes, scirrhi certissimi Hydropis prodromi, modo natura prius non succumbat.

### §. I X.

Evacuationes consuetæ suppressæ, neglegitæ, sive hæmorrhagiæ spontaneæ, periodicæ, quæ juvenibus plethoricis familiares, sive sanguinis missiones artificiales. Nascitur inde plethora naturæ gravis, sub cuius onere languens diverticula quærit.

### §. X.

Omnes excretiones nimiæ huc pertinent, ut natura, (quæ sola est sui seu vitæ conservatrix & deficientis restauratrix), in consueto suo opere persistat, requiritur justa humoris vitalis copia, debita qualitas & aptus impetus. Jaætura igitur nimia humoris vitalis fani causam sanitatis secum aufert, natura inermi in suis angustiis relicta. Causæ alimenta digerentes ex masla humorum vitalium in suas officinas secernuntur; hac igitur deficiente, deficienti illæ causæ; deficientibus his, coctio impedita, chylus crudus, ex quo in sanguinem delato cacochymia, nata hac, omne malorum genus, adeoque Hydrops oriri potest.

### §. X I.

Excretiones profusæ retinendorum per vias naturales, sive morbosæ, sive malo mentis consilio productæ, ut exspuitio voluntaria salivæ, venus immodica, præpostoræ purgationes alvi ope fortiorum purgantium, liquida vitalia solventium, putrefacientium; diarrhoeæ spontaneæ diutius persistentes, dysenteriæ. Qui lienosi à dysenteria corripiuntur, his longa super-

*veniente dysenteria, Hydrops supervenit, aut lienteria & pereunt.*  
*Hipp. S. vi. Aphor. 43. Videtur in hoc casu lienis substantia*  
*in liquamen acre putridum resolvi, & per venam portæ, duc-*  
*tum hepaticum in cavum duodeni deponi, quales casus subin-*  
*de in cadaveribus obvii. Ut paucis dicam, omnes causæ de-*  
*bilitantes, Vermes, Calculi, animi pathemata. &c.*

## §. X I I.

Causas allegatas observata Præticorum confirmant, *aqua in-*  
*ter cutem nonnunquam à copioso frigido potu continuo provenit,*  
*quum præ nimia siti ad saturitatem quispiam multam aquam geli-*  
*dam ingurgitaverit. Aretæus Cappad. l. c. Accusat præclarus Vir*  
*potum aquæ frigidæ ad satietatem ingurgitatæ: quid de aqua*  
*calida, Infusis indicis, nulla suadente necessitate, affatim quotidiè*  
*ingestis judicandum? Rarissimus certè casus, ubi Hydrops po-*  
*tu frigido inductus, forte tantum corpore intus & extus æ-*  
*stuante; verum aquæ calidæ abusus nec tempore nec naturali*  
*satietae terminatus, vix alios habet limites, quam extremam*  
*impletionem. Aqua calida omnia penetrat, omnia laxat, om-*  
*nia inertia reddit; cohæsio tam in firmis quam in fluidis im-*  
*minuitur; natura quasi fluido redundanti immersa iners reddi-*  
*tur, nec chylopoësis, nec hæmatopoësis ad gradum debitæ*  
*perfectionis promoventur: unde cacochymia pituitosa, Hydro-*  
*pes, diabetes olim rarissimus affectus, & vix à majoribus*  
*medicis observatus, nunc temporis satis frequens aquæ potri-*  
*cibus, in primis otiosis. Viri exercitio corporis, aquas faci-*  
*lius discutiunt; exercitio corporis homo optime se munit in so-*  
*lo humido, depresso contra multos morbos. Si inter aquas hæ-*  
*reat, aquam calidam ingurgitet, mirum non est, si in Hydro-*  
*pem incidat. Plebeji debilitatem inde agnoscentes ad spiritum*  
*Juniperi refugiunt, à quo Vires contra Hydropem sperare pos-*  
*sent, si parcissimus & rarius foret usus, & non plus aquæ as-*  
*fumeretur, quam sitis poscit; ast usu in abusum verso, pejor*  
*sequitur corporis conditio, ut optimè hic quadret dictum*  
*poëtæ,*

*Incidit in Scyram cupiens vitare Charybdin.*

Abusu hujus spiritus solida contrahuntur, fluida coagulantur, tenuiora in cellulas exprimuntur, deficientibus inde causis coccicibus defectus chyli & sanguinis boni; fatum ultimum apoplexia serosa, quæ fortè est Hydrops ventriculorum Cerebri, aut Hydrops corporis. Abstinentia & laborum necessitas hæc muliebria fata sæpè effugit. Firmorem degunt vitam, qui infudore vescuntur pane, modo leges justi moderaminis non transiliunt. Maxima pars Hydropicorum, spreta viëtus ratione, malum quod sustinent, contraxere. Alii copia aquæ, alii cerevisiæ, alii vini, alii spirituum fermentatorum vi aromatica imbitorum, quandoque nulla necessitate imperante, in calamitosum hunc morbum incidere.

### §. X I I .

Quanquam nulla viëtus regula cuivis utilis sensu absoluto fieri possit, cum tot sint differentiæ accidentales, quot sint homines, & in uno homine respectu alterius, quot sint partes, nihilominus magnus Hippocrates calamitates ex pravo viëtu ortas perpendens generali quadam regula hominum saluti consulere voluit. Cibum labori & laborem cibo proportionavit, aut proportionare voluit, nec ætatis, nec consuetudinis, nec tempestatis rationem inire neglexit, ut varia loca in ejus operibus obvia fidem faciunt. *Labor firmat, inquit, otium bebetat.* justum corporis exercitium aquosa superflua dissipat, secretiones promovet, elementa humorum condensat, nutritionem firmam reddit; plethoram, obesitatem præcavet; inde occasionem Hydropis ex humorum inertia nascituri præcidit. Omnia his contraria sunt causæ prædisponentes ad Hydropem, adeoque ex iis optimè intelliguntur. Itaque & morbus & medela simul sistuntur. Optime de his Hippocrates apud *van Swieten in Comment. ad Aphorism. Boerb. 106. pag. 154. Homo comedens. sanus esse non potest, nisi etiam laboribus exerceatur, cibi enim & labores adversas inter se potestates, mutuo tamen ad sanitatem conferent.*

ferentes habent, labores namque ea, quæ ad sunt, consumere solent, cibi vero & potus vacuata replere. Et alibi cibos & labores inter se conferendo effectus recensens monet, respiciendum esse, utrum cibi labores, an labores cibos superent, an moderate inter se habeant, quodcumque enim superatur, ex eo morbi contingunt; ex mutua verò inter se æqualitate sanitas est. Hæc de ratione victus.

## §. X I V.

Exemplum Hydropis ex jactura nimia sanguinis inducti refert van Swieten, l. c. dicit, se vidisse fæminam, cui ob validissimos & saepissime renatos animi affectus sexagesies & ultra vena secta fuerat intra anni spatum, quæ obesissima facta paucorum mensium intervallo 150. librarum pondere aucta fuerat, & quum continuo turgeret, renato sanguine, nova sanguinem mittendi necessitas urgebat magis quotidie, donec tandem soluto omni robore in Hydrope incidenteret. Patet hoc exemplo 1. obesitatem ad Hydrope disponere. 2. justam copiam humorum vitalium, justamque eorum densitatem requiri, ut vigor circulationis præcaveat nimiam pinguedinis productionem. Conf. §. 13.

## §. X V.

Inter causas externas non infimum locum obtinet corporum irruentium vis, iictus, casus &c. ubi in gravioribus contusionibus humores effusi putrefescunt, inde cum sanguine ad vitalia delati tragœdias ludunt. Sic milites gregarii peccatum aliquod admissum rigore juris militaris luentes pœnibus iictibus plus ulro contusi lenta morte tabescentes, tandem in Hydrope ante mortem incident; vel oborta viscerum inflammatione correpti extinguuntur. Illud frequentius, hoc rarius accidit: nam fere semper in locis contusis omnis pinguedo, fibræ musculares ex parte vasa cum fluidis contentis, (horrendum visu) in gelatinam putridam, vel in aquam conversa deprehenduntur. Putridum hocce liquamen inquinat universam vitalium massam &

efficacissimam mortiferi Hydrops causam ponit. In aliis conspicitur lien; in aliis hepar contusum, contenta substantia in liquamen nigrum foetidum conversa. In aliis liquor instar loturæ carnis in cavo thoracis vel abdominalis, imo in ventriculis cerebri reperta fuit, Robustissimos & vere martiales inexorabili hoc fato periisse norunt & dolent medici castrenses & praesidiarii.

*Hujus credendi sunt visa cadavera testes.  
Res in judicio statque caditque Virum.*

### §. X V I.

Aliis causis peculiaribus, quum ad allegatas referri possint, recensendis supersedeo. Si quis plura desiderat, adeat Frid. Hoffman. Bonet. Etmuller. aliosque insigniores Practicos.

### §. X V I I.

Conditio ægri, natura & vis morbi inter se comparata, incrementum, pars obfessa eventum præsignant.

### §. X V I I I.

Hydrops recens sola laxitate partium ab aquosis ingestis & vita otiosa in locis humidis oriundus, nullo morbo inveterato delitescente in subiectis cæterum sanis conveniente rerum non-naturalium usu, medicamentis evacuantibus, diureticis, purgantibus per vices adhibitis, interpositis roborantibus haud difficer cedit.

### §. X I X.

In prognosi non tantum morbus, sed & æger respiciendus, pacata mens ægri & religiosa observatio legum à medico præscriptarum ad sanitatem recuperandam plurimum facit: spretis hisce

hisce inanis spes ægri & medici, nisi casu æger illis indu'geat, quibus magna fiat immutatio in interioribus, qualia appetitu insolito desiderantur. Ægrum immorigerum curari vix posse dicit Celsus Lib. 3. cap. 21. his verbis. *Hydrops facilius in servis, quam in liberis tollitur, quia cum desiderat famem, sitim, mille alia tœdia, longamque patientiam, promptius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est.* Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus Chrysippi discipulus apud Antigonom Regem amicum quendam ejus notæ intemperantie mediocriter eo morbo iuimplicitum negavit posse curari: *Quunque alter medicus Epirates Philippus se sanaturum polliceretur, respondit, illum ad morbum respicere, se ad animum.* Neque eum res fefellit, iste enim, quum summa diligentia non medici tantummodo sed etiam Regis enstodiretur, tamen malagmata sua devorando bibendoque suam urinam in exitium se præcipitavit.

## §. XX.

Morbi Hydropi socii, sive prægressi, sive supervenientes Hydropem reddunt plus minus periculum; prout sua natura vitæ magis adversi. Senectus ipsa est morbus insanabilis, Hydrops seni obveniens mortem accelerat: ita si cuidam in ætate vegeta longo morbo vires exhaustæ sint, superveniente Hydrope ea restaurare facile non est, adeoque nec curare Hydropem.

## §. XXI.

Hydrops à labe viscerum, scirrho, suppuratione, phthisi, lethalis fere pronunciandus; unde extintorum plurima in practicis exempla, vix unum vel alterum persanati à tempore Hippocratis in hunc usque diem. *Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aqua repletur & moriuntur.* Hipp. L. VII. Aph. LV. Conf. Comm. de Gorter ad hunc Aphorism.

## §. XXII.

## §. XXXI.

Locus obsessus, Symptomata bene cognita exitum designant. Sitis à corruptela fluidorum mali præfigii, innuit corrosionem omnium partium, humoris acris per vasa erosa effluxum; inde dolor, inquietudines, pervigilia, pulsus inæqualis, intermittens; animi deliquia, mors.

## §. XXXII.

Hydrocephalus effusa & collecta intra cranium aqua, ossa in futuris removente, compresso cerebro in apoplexiā lethalem desinit; in pueris, ubi ossa cedere possunt, malum diutius protrahitur. In adultis cito lethalis.

## §. XXXIV.

Hydrops pectoris ab ulcere pulmonum, expresso fero, corrupto & retento intra pulmonem pure brevi suffocat. id subinde evenisse inspecta cadavera Hydrope pectoris extinctorum docuere. Hoc casu paracenthesis nil juvat, quum fons mali exhaudiri non possit. Nulla autem sunt signa, quibus hic affectus ab Empyemate discernatur.

## §. XXXV.

Neque Curationem admittere videtur Hydrops ovarii, aut tubæ Fallopii, ubi aquæ ad centenas libras collectæ hærent, vitam in partibus circumpositis suffocant. Secretio urinæ in renibus impeditur, tota massa sanguinis fit urinosa, putrida: unde sitis, pervigilia, animi defectus, vitæ extinctio.

## §. XXXVI.

Hydrops ingens uteri ab orificio interno coälito certo lethalis, nisi forte incisione, ut in partu cæsareo, aqua educatur.

Si

Si vero via per orificium datur, ab expedito chirurgo facile educetur; id autem fiat per vices, si una vice libra educatur, sufficit, partes interim internas & externas roborando.

### §. XXVII.

Ascites cum graviditate ad maturitatem fœtus relinquendus, tum sponte aqua cum fœtu exit: de quo supra.

### §. XXVIII.

Prognostica ab excretis fere hæc sunt: si alvus soluta, aquosa, non fœtida adeo, nec colorata, nec viridia, nec atra per plures dies dimittit, aut per vias urinæ, spiracula cutis forma sudoris magna copia ejusmodi humoris excernatur, sive sponte natura id fiat, sive dato purgante, sudorifero aut diuretico illæ excretiones excitatae & promotæ fuerint; si corpus inde detumescat, functiones læsæ incipiunt restitui, vitam de morbo triumphaturam indicat, & vice versa, morbum de vita, si inde symptomata augeantur. *Ab infania hydrops bonum. Hipp. Aph. v. S. vii.* Plurima de his occurruunt à Practicis notata, quæ allegare supervacaneum duxi.

### §. XXIX.

## DE CURATIONE.

Hæc ex data causarum & modi, quibus hydrops oritur, expositione utcunque intelligitur, adeoque paucis eam expediam. Omnis hydrops vel est simplex, vel cum aliis morbis complicatus. Tum ipse hydrops vel est in principio, vel tractu temporis vires acquisivit, ut superius ostensum. Origo igitur tam hydropis, quam morbi socii curaturo noscenda, ut recta medendi methodo, medicamentis auxiliantibus naturæ succurrat, eam aquis liberet, iis ignoratis cæca & præpostera curatio.

C

§. XXX.

## §. XXX.

Quod si hydrops simplex, recens exquisito rerum non naturalium usu in subjectis vegetis fere curatur, evitando causas, quibus inductus, & adhibenda opposita. v. gr. si aër humidus, frigidus, uliginosus, opera in aquis peracta; alimenta pravi succi, abusus potus aquosi, aut spirituum stillatiorum; vita otiosa, animi affectus tristes causam dederunt, contraria his in usum vocanda. Eligendus aër siccus, calidus, mora in superiori ædium parte super tabulatum ligneum, alimenta sicciora, boni succi, carnes assæ juniorum animalium, panis bis coctus, rite fermentatus &c. ea copia assumenda, ne gravent, ne superent vires digestrices, in hydropicis non adeo validas, licet in mali principio, eo quod debilitas prægressa plerumque inter causas hydropis sit. Potus sit parcus, generosus, vinum rubrum, austriuscum in primis convenit, aut cerevisia bonæ notæ. Exercitium corporis, quantum vires permittunt, quo secretiones viscidi soluti maxime promoventur, excretiones secreti expediuntur. Tranquillitas animi curationi in primis favet. Externe convenient frictions, balnea sicca, in arena vel clibano. Si his addis diuretica, purgantia, interpositis roborantibus, nil ultra requiritur.

## §. XXX I.

¶ Medicamentorum roborantium primatum obtinet Mars, & ex eo præparata, v. g. limatura martis, eadem in vino Rhenano soluta. Vinum hoc martiatum Celeb. Boerb. in debilitate & laxitate incomparabile deprædicat; item præparata cum acidis facta à Sydenhamo laudata, vitriolum martis &c. Ex vegetantibus Radices Bistortæ, Tormentillæ, Gentianæ, Zedoariæ. Cort. Peruv. Fraxin. summitat. Card. Ben. absinth. Cent. min. Tanacet. & ejusmodi amara adstringentibus sociata deligantur; allium quoque non repudiatur.

## §. XXXII.

Purgantia in hoc affectu laudantur, quæ eliquant, solvunt, ut Mercurius (\*) & præparata ex eo, Jalappa, Scammonium, Aloëtica, Gummi Acria, ut Gummi Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, Sagapen. Mastich. pilulæ Ruffi, Succi vegetantium acriores, recentes, ut Ebuli. rad. Bryon. &c. Ut & quæ peracta purgatione roborant, quale est Rhabarbarum. De Rhabarbaro verum est, quod roboret, verum illa vis roborans in primis viis subsistit, visceribus interioribus non communicatur, quod ostendit ejus infusum, quod non relinquit alvum stipatam. Interim virtutem in hydropicis egregiam exerit. In intimos recessus penetrat, solvit & balsamica sua amaritie vegetantibus propria putredini resistit. Ex Rhei Extracto Gum. Ammon. sale polychresto & sapone Veneto, Balsamo Peruviano vel Tereb. exceptis conficiuntur pilulæ anti-hydropicæ, efficacissimæ, tutissimæ, ea copia exhibendæ, ut alvus tantum soluta servetur, non ut profusæ diarrhœæ insequantur, & corpus alimento destituatur. Qui bene dividit, tuto imperat. Ingens remediorum farrago in auctoribus obvia. Alii fossilia præferunt, alii vegetantia, alii salem armoniacum; alii omne præsidium collocant in tintura illa ob colorem cælestina dicta, quæ nil aliud est, nisi solutio cupri in solutione salis armoniaci. Laudato ingentia rura, exiguum colito. Quum horum propriam experientiam non habeam, satis esse ratus, si levioribus, tutissimis scopus obtineri nequit, ad illa modo recensita configere; agenda & omittenda ex viribus ægri & morbi discere. Juxta Boerb. Inst. §. 1083. ubi afferit, non posse

(\*) Non majus deobstruens quam Mercurius crudus est. Hinc quum morbus à nimis viscidis humoribus vasa excretoria cutis, renum &c. infarcentibus ortus sit, Medicamen hoc cum diureticis vel diaphoreticis pro re nata exhibitum speratos poterit habere successus. Ad promovendum ingressum ejus in vasa lactea, quodam medio uti Terebinthina &c: dividi poterit, & sic ad gr. vj. plus minus quavis nocte exhibendus, ac sequentibus diebus diaphoretica, diuretica decocta superbibenda.

posse indicari agenda & actura, nisi perspectis causis, viribus vitæ & morbi, item in quo gradu extiterint. Emetica multum commodi interdum producere possunt, præcipua sunt Crocus Metallorum, sal tartari emet. Ipecacuan; sed Sydenham Oper. om. p. 496. dicit: *nisi venter in tumorein insignem attollatur, omnino convenit, ut tota res evacuantibus per inferiora committatur.* Omnino ab iis abstinendum, si suspicio est, viscera esse labefactata.

Casus sunt observati, ubi pluribus sine effectu exhibitis, vesicatoria applicata speratum effectum produxere.

### §. XXXIII.

Si tumor hydropicus adeo ingens, qualis subinde in ascite, sive aqua hæreat in tubis Fallopii, sive in ovariis, sive in duplicatura peritonei, sive in Cavo thoracis, ut remediis internis evacuari nequeat, arte chirurgica via paranda. Locus incidentus ex parte affecta, modus, cautelæ, aliaque nefaria deinceps remedia, ex Chirurgicis petenda.

### §. XXXIV.

Hæc pauca scopo meo sufficere existimo, quædam obiter attigi, quædam propositæ brevitatis ergo præterii, ea vero, quæ naturam morbi constituunt, pro virium tenuitate expedire conatus sum. Diffusa admodum est hujus morbi historia, quoad causas, loca obfessa, effectus, remedia, curationem quibus colligendis & describendis volumen requireretur. Præsentia, qualiacunque sint B. L. ut æqui bonique consulat, rogo.

### F I N I S.